90

& sonus conscientiae canticos imitetur affectio. & animus magister ac
cendat. & pulset pectora. & sonus reddetur ad caelum. Ideo et paulus dice
bat. Praestate corpora uestra sacrificium uiuum. beneplacitum. ratio
nabilem culturam deo. Oculus deo praestat obsequium. si turpia declinet
aspicere. & lingua merebitur praemium suum. quando benedictionibus
occupatur. & auditus placebit deo. si se detractionibus non commiserit.
& mens eleuatur ad caelum. si malis conscientiis non polluatur. & pe
des laudare dominum poterunt. si cursum suum ab omni malitia reuocare
festinent. & manus benedicunt. si rapinis renuntiauerint. si ad mi
sericordiam properauerint. Efficitur homo cithara. omni parte perfecta.
sono spiritali decoratus. caelesti placiturus auditui. Nam iudeos ideo
diuersos sonos fuerant habere permissum. propter infirmitatem cordis
sui. ut organi saltim inuitati. ad caritatem miscerentur. & diuina
permissione fuit. ut qui deliciosis mentibus tepida cogitabant. & dissi
mulationis neglegentiae premebantur. uoluptariis conuersationibus
inherentes. sic saltim aliquid spernerent uanitatis. & quid est cymba
lis designatione psalmi. Non enim tanto sono utebantur cymbalo
rum. non tantum citharis delectabantur. sed cum cymbalis. cum tu
ba. cum cithara. psalmos quoque cum sua significatione cantabant.
& labor ille ac uoluntatis instantia lucrum commodumque portabat.
Omnis spiritus laudet dominum. & quia caelestes potestates nominauit. & quia
populum excitauit uniuersum. quia organa cuncta commouit.
omnemque ad laudem naturam incitauit. uiros & feminas. senes &
iuuenes. pueros & infantes. & omnes undique mundi habitantes. ad
canticum benedictionis hortatur. & hic semina noui testamenti

© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0061